

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. JOANNE-BAPTISTA JUMELIN, Doctore Medico Præſide.

An in Athritidis inſultibus, Venæ Sectiones repetitæ?

I.



IN dubiis aſſenſum ſuſtinere, ratiocinium & experientiam conſulere, (1) opinionemque non plus æquo æſtimare, & Sapientis & Medici ſemper fuit. Hæc eſt in indagandâ veritate via tutior, & certi comparandi modus expeditiſſimus. Porrò qui talibus auxiliis deſtitueretur nunquàm profectò intelligeret quo pacto fiat quædam remedia theoriæ & omni diſciplinæ rationali adverſantia, in uſu feliciſſima deprehendi, dum

(1) Opinio enim tum præcipuè in Arte Medicâ crimini vertitur...... inſcientiæ & nullius Artis indicium eſt. *Hippocr. de decent. Habit.*

è contrà quæ ad ſeveriores Artis regulas accommodatiora, & vero propiora in medium attulerat operoſa Medicorum prudentia, fallaci & irritâ ſpe & ægrum & medicum deluſere. In argumentum veniunt Arthritis & quæ adverſùs arthritidem tot fruſtrà fuêre remedia. Nullus enim datur morbus qui tot & tam diverſis medicamentis fuerit impugnatus, ut inſanabilem plures habuerint morbum Prothæiformem & omni medelâ exacerbandum. Nec ideò tamen omnis ſpes abjicienda, cum plurièsexperientia (2) comprobaverit arthritidem feliciter ſanatam fuiſſe. Ad hoc autem conſequendum, revocanda eſt experientia, & quod inquirentibus ſuppeditabit, ſubacto ratiocinio dijudicandum.

Arthritis vocatur morbus articulorum cum tumore plus minùſve inflammatorio, ſed ita ſævo, ut partes circumjacentes fero dolore dilanientur. Diverſa habuit nomina à diverſis articulis, ſed trita & obſoleta. Ab authoribus diviſa quoque fuit in recentem & inveteratam, regularem & anomalem, vagam & nodoſam; hæreditariam & acquiſitam, phlegmonodeam & pituitoſam, calidam & frigidam, ſed cum à variis effectibus hæ pendeant differentiæ, quæ ſentiamus de hujuſce morbi cauſâ, in frequenti paragrapho proferemus.

(2) Vid. Tract. M. Liger. William Cadogan. Prax. M. le Camus.

I I.

LYMPHA omnium humorum copioſiſſimus in homine. Majorem conſtituit materiæ ſecretionum partem; nam in maſſæ ſanguinis ſummâ, duas tertias partes circiter efficit. Tenuitas ejus in ſtatu ſanitatis ea eſt quæ ramificationes vaſorum minutiſſimas, quorum aditus globuloſæ parti ſanguinis occluditur ſubeat, mox in alveum circulationis refluxura. Mucilaginoſa eſt, & ſi quieſcat, ſpontè exſiccationis concretioniſque capax, non alio jure nec aliis cauſis quam ovi albumen, cæteris proprietatibus lymphæ non abſimile. Lympha etenim & ovi albumen hoc habent commune, quod ambo ſint mucilago animalis, eadem principia analyſi chemicæ ſuppeditent, ambo concreſcant ſolius caloris medio, abſque ullâ evaporatione. Quoties itaque, vel propter perſpirationem ſuppreſſam aut victum opiparum, & cibos nimis ſucculentos, aut ex ſpirituoſorum abuſu, vel vitæ mollis ſupinâ deſidiâ, auctior ditiorque fuerit quàm par eſt, toties ingruet periculum morbi, ratione temperamentorum diverſi. Si (1) fortis ſit textura partium, cum impetu ad extremitates propellentur humores, vix ægrè propter pondus ad centrum revehendi; ſin autem debilis, tunc ubique fient ſtaſes & congeſtiones.

(1) Fortiſſimis conſtitutionibus inhæret Arthritis, William Cadogan, P. 11. Sydenham. Tract. de Arthritid.

A

In priori discrimine versantur quos manet Arthritis, in altero infantuli & mulieres : præcipuè verò si fluant catamenia, vacabit ab hoc periculo sexus fœmineus, nisi si quæ validâ admodùm & plethoricâ constitutione gaudeat. In infantulis autem incremento materiem præstat hæc redundantia, crescunt indurantur que solida progressione certâ, adeò ut ipse fœtus ferè totus lymphaticus videatur (1). Ex contrariis, in quibus perenni exercitatione aut diuturnis laboribus assiduo tritu lympha attenuatur, ii nunquam arthritide laborant. In promptu exemplum sumitur ex Arthritico (2) quodam, qui post eversam fortunam, mutato vivendi modo, felici infortunio sanitatem debuit. Sed jam satis elucescit arthritidem à statu plethorico lymphæ spissioris pendere. Si Authores de ipsius causâ consulas, proh ! quanta opinionum diversitas ! ipse Sydenhamus candidè declaravit (3) naturam Arthritidis esse difficillimam & ferè impossibilem comprehensu ; attamen alii signa concomitantia pro causâ sumere voluerunt, Arthritidemque à variis symptomatibus enasci excogitavere ; sed illorum argumenti satis patet levitas, nec malè illos contuleris cum authore (4) quodam qui judicabat mulierem quamdam famulumque ejus Podagricos evasisse, quòd tibialia crepidasque heri podagrici induissent. *Cum hoc* calceamento deambulavit æger, *ergo propter hoc* calceamentum arthriticus evasit. Proh ! funestam ratiocinandi methodum ! nam tali Paralogismo nihil vulgarius, & multiplices exindè quotidie oboriuntur hallucinationes. Qui sic ratiocinantur, mira sanè vident, Arthritidem nempè syphiliticam, rheumaticam, scorbuticam, &c. &c. Sed hæ tenebriculæ ratiocinii face discussæ, non jam obducunt caliginem. Super est adhuc ut de necessitate Venæ sectionum dicamus.

(1) Vid. Opera D. Wan-Swieten.
(2) Vid. Tract. M. Liger, p. 93.
(3) Sydenham. Tract. de Arthritid. versùs finem.
(4) Schmidt. Observ. 49, Annot. 9 Ephem. Germ.

III.

CAUSA proxima inflammationis est spissa humorum congeries; & ad hunc statum disponit abundantior lympha, ditiorque sanguis. Quando adest inflammatio, adest calor, dolor, tensio & rubor, si pro suâ parte concurrat pars rubra sanguinis. Tunc sanguis à venis detractus dum coagulatur, lympham ostendit concrescentem, subflavam, durıusculam, quæ vocatur *crusta inflammatoria* ; talisque semper est arthriticorum sanguis. Quando in telâ cellulari adest inflammatio, destruuntur adipis alveolæ, materiesque sic ampla suppurationi præbetur. Sed si in capsulis articulorum ligamentisve situm habeat, hæc non destruuntur,

fed diducuntur utrinque , & fic dolores cient acutiffimos. Imò fi remaneat ibi lympha à motu circulatorio hîc appulfa , induratur , efformatque nodos & tophos articulorum. Ex fuprà dictis intelligitur quid fit expectandum fi in maffâ fanguinis exuberet humor lymphaticus. Quod quidem ut pateat , confideremus naturam partium quæ Arthritidis infultûs furori funt obnoxiæ. In articulis luditur tragædia. Scilicet hîc adfunt cartilagines , offa , tendines , ligamenta , capfulæ ; hîc exanguis fubftantia tota eft, quia nimirùm tota lymphatica , partes fanguinis rubras non admittit ; hîc adfunt majorum vaforum fluenta pleniffima , hîc fanguis in extremitatibus canalium valido impetu arietat ; hîc adfunt articulorum cavitates fluidi expellendi receptacula ; quæ omnia fi recolligantur jam patet nullibi fieri poffe lymphæ fupervacuæ trufionem , quàm ubi copiofè adeft humor fimilis fimilem advocans , ubi definit arteriofi fluminis impetus , ubi datur cavitas millenis irrigata lymphaticorum oftiolis. Depluet igitur in articulos inimicus imber , exundabit in tumorem , ex tumore vellicabuntur nervi , ex vellicatione fiet lymphæ influxus uberior , ex influxu calor , ex calore concrefcet in nodos humor lymphaticus. Proxima igitur in eo confiftit indicatio curatoria , ut minuatur humorum fumma , ut facilior circulatio particulas obftructionis in maffam reducat. Hæc inflammationum tumorumque terminatio vocata fuit refolutio , aliifque profectò eft anteponenda. Venæ fectionum in hoc cafu fatis probata eft neceffitas ; hoc , ut ita dicam , abiit in adagium. Sed ftabiliendum eft tempus quo impenfiùs hocce remedio indigeant arthritici. Duo itaque tempora in arthritide funt diftinguenda, nempè tempus infultuum , & tempus in quo humores , ante & poft , ad paroxyfmum difponuntur. Hoc tempus ultimum vocatur *difpofitio ad morbum* , & ftatus eft omnibus morbis communis. Indiget adhuc æger curâ Prophylacticâ , quæ fine illâ *difpofitione* , foret inutilis. Sed ad tempus infultuum arthritidis ubi fanguinis miffionum opus eft , redeundum.

I V.

INSULTUS Arthritidis ex caufis fuprà dictis , incipit (1) à dolore in articulo, qui crefcit mox cum acerbiffimo doloris fenfu in totâ articulatione. Deindè dolor definit , dum furgit tumor in articulo turgido nimis quàm ut novæ lymphæ pateat aditus fed tumefacto fatis ut atonæ evadant fibræ , nec exiftat ampliùs conftrictio fpafmodica dolorem procreans. In his rerum anguftiis , fanguinem mittas iterùm atque iterùm , pro ut jufferit aut finet ætas , temperamentum , &

(1) Vide Graphicam Defcriptionem Arthridis, ex Sydenhamo.

plethoræ gradus. Poſt celebratam Phlebotomiam, partem afflictam fore cataplaſmatibus reſolutivis, adhibeatur potus diluens, & attenuans, ſedatâque inflammatione, ex alto depluat lixivium alkalinum in partem afflictam. Sed nunc tempus inſultûs effluxit, curatioque tota evadit Prophylactica. Hujuſce media ſuppeditant Alkalina & Septica, lympham & concretiones liquantia, ut videre eſt propter affinitatem arthritidis cum Calculo, in (1) tractatu Lithontripticorum. Quando propter contrà indicationes adhiberi non poſſunt Venæ ſectiones, ſanguinis detractio in ipſâ parte (2), adhibitioque Hirudinum cum ſucceſſu uſurpari poteſt, ex indè que levamen non mediocre percipiet æger: (3) nec idcircò infirmatur noſtra theoria. Frictines ſiccæ (4) locales, Alkalinaque topica, tum ſub ſaponis (5) formâ, tum aliter feliciter uſurpabis. De ſymptomatibus inſultus arthritidis concomitantibus nil dicam, ſed ſecundum artem à medico ſanentur, habitâ ratione contrà indicantium.

Ut hæ concluſiones ex noſtrâ theoriâ deductæ, non videantur inconſultè & temerè adductæ, Practicantium (6) teſtimonia revocare, & Riverii ipſa verba referre juvat:

Omnis Arthritidis curatio in eo conſiſtit ut humoris ad articulos influxus inhibeatur; qui jam influxit & articulis inhæret ſubmoveatur.... ac primum ſanguinis detractatio erit Convenientiſſima.... eſt autem ſanguis detrahendus ſtatim ab ipſo morbi initio.... ITERATIS VICIBUS donec plenitudini ſit ſatis factum. Hoc præ oculis ſemper habendum eſt copioſam ſanguinis detractionem in iis qui illam facile ferre poſſunt morbum maximè abbreviare ſi ſtatim ab initio celebretur aut ſaltem partitis vicibus.

Magni ſatis momenti videtur adhuc, quaſdam objectiones refellere.

---

(1) Vid. Interpretationem Gallicam Angli Doct. Blakrie, de Lithontripticis à MM. Bourru & Guilbert.

(2) D. Lazerme Tuſâ Venâ pedis affecti &c. Sauvages Claſſ. morb. de Arthritid.

(3) Vid. Zacut. Luſit. Cœl. Aurel. Aretæum. Tract. Paulmier Andegav.

(4) William Cadogan. p. 131.

(5) Vid. Theſ. an Arthritidi ſapo. M. Liger.

(6) Vid. William Cadogan, Paulmier, le Camus, & alios multos.

V.

OBJICIUNT adverſarii non aliud expectandum à Venæ ſectionibus, niſi ut immineatur plethora; neutiquàm verò ab evacuatione ſanguinis extirpari *virus* arthriticum. Animadvertant igitur qui talia oggerunt, non ideò nos

Phlebotomiam ſuadere ut ægrotantis res in integrum reſtituatur, verum eam à nobis eâ mente celebrari ut leniatur inſultûs ferocia, levamenque diriſſimis cruciatibus afferatur eo remedii genere, quòd in inflammatorio dolore præſentiſſimum ſit auxilium, viamque expeditiorem ſternat medelæ poſt manſuefactam Paroxyſmi atrocitatem. *Diſpoſitio ad morbum*, & inſultus ſanè differunt à *viru* quod vocatur *venenum in corpore congenitum. Virus* illud arthriticum merè imaginarium eſt, & malè feriati ingenii partus ſubventaneus. Cum *corruptione bilis & pituitæ* Hippocratis, *fluxione partium* Galeni, *ſynoviæ acrimoniâ* Paracelſi, *aciditate ſeminis* Helmontii, *acido vitriolico vegetabili* Sennerti, *pituitâ* Fernelii, *acrimoniâ partes nervoſas delicatiores vellicante* Boerhavii, prorsùs relegandum.

At, inquiunt, datur *virus* arthriticum, ſi 1°. à parentibus in prolem tranſeat arthritis, 2°. ſi retro pulſâ materiâ, fiat periculi plenus in viſcera decubitus. Ad hæc ſic reſpondemus, parùm intrà limites quæſtionis conſtare, qui ſic obſtrepunt, cùm agatur de inſultibus arthritidis mitigandis; non verò de ipſâ Arthritide planiùs intuendâ, quod ad Prophylaxim attinet. Verùm ut nihil diſſimulemus quod contrà propoſitum noſtrum videatur pugnare, ſimulque diluamus errores in praxin ex præjudicato principio manantes, accipiant quam vana ſit & fallax *virus* arthritici theoria iiſque ſequuntur accuratè perpenſis. 1°. Hæreditarius quandoque morbus eſt arthritis non quòd à parentibus in prolem tranſeat labes arthritica, ſed ex eo quòd ferè ſimili conſtitutione gaudeant & qui ortum dedere, & qui natalia ducunt(1). Non mirum itaque quod ex vitæ communione,& ex eodem victûs genere, ſimiles oriantur cauſæ ſimiles parientes effectus. Et jam in teſtimonium revocari poſſunt recentiores (2) qui hæreditariæ arthritidi fidem prorsùs negavere. 2°. Ab artubus non rarò ad interiora fertur, præcipuè ob intempeſtivam topicorum applicationem ea lymphæ pars, quam exuberantem & *febre lymphaticâ* latenter & diuturnè coctam, infauſtæ criſis materiam & noxæ deditam, forâs amolitur naturæ conatus. Numquid eam ob exitialem receſſum, virus nomine audebunt infamare? Sed animadvertant ſe ad has anguſtias eſſe redactos, ut omnem materiam metaſtaticam, uno verbo criticam quamlibet eâdem aſpergant infamiæ labe. Sic annumerabunt *virus pleureticum*, *apoplecticum*, *quartanarium*, &c. quod ſanè repugnat. Sed ut queſtioni clauſulam tandem imponamus, ſic habeant adumbratam arthritidis imaginem, ut, quoad nomen, ſit artuum inflammatio quomodo ſibi vult ea vox Arthritis, à voce græcâ Αρθρον, ut Gaſtritis, Hepatitis, hepatis

---

(1) Fortes creantur fortibus.....
..... Neque imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam. *Horat. Od.* 4. *lib.* 4.

(2) William Cadogan. p. 12. Ponſart. p. 30.

& ventriculi ſtatum inflammatorium deſignant; quoad rem à *Plethoricâ inflammatoriâ* lymphæ Craſi pendeat; potiſſimùm aggrediatur quos victus opiparus, ſucculentior corporis habitus, ditior quàm par eſt boni ſucci & ſpirituum copia, miſerè tandem plectunt deſidiæ, gulæ; uno verbo, vegetioris ultrà modum ſanitatis abuſûs pænas luituros. In hoc rerum diſcrimine, accenditur febris, ſurdis doloribus tentantur extremitates, coctionem ſibi propriam ſubit humor lymphaticus; ſubactus truditur intrà cavitates articulorum, ex cauſis ſuprà memoratis: fit inflammatio ſtipata dolore, tumore, & artuum diſtorſione; funeſtam criſim molitur natura per indurationem, vix ægrè reſolvendam. Quid præſtantius adverſùs ingruentis paroxyſmi ferociam dabitur auxilium, quam ſi detrahatur abundanter ſanguis, & æger jam quietis compos curationi poſt paroxyſmum feliciùs & faciliùs abſolvendæ tradatur? Quæ cum jam extrà omnem controverſiæ aleam poſita ſint, concludere pronum eſt.

Ergo in Arthritidis inſultibus, Venæ Sectiones repetitæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTABOURG.	*M. Guillelmus* FUMÉE.	*M. Petrus-Ludovicus-Maria* MALOET, *Galliarum Principum, Medicus primarius, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi, pro Epidemiis inſtitutâ.*
M. Natalis Nicolaus MALLET.	*M. Marinus-Jacobus-Clarus* ROBERT. *S. Ducis Bipontini, dum viveret, Archiater, nec non à Conſiliis & ſecretis.*	*M. Carolus* GEILLE DE SAINT LEGER, *Eques, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius; primi Ordinis, & totius Equeſtris Agminis in Exercitu, Medicus primarius.*
M. Franciſcus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.	*M. Maximilianus-Joſephus* LEYS.	*M. Antonius* GARNIER.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-CAROLUS HALLOT, Lingonenſis, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, Thæſeos Author. A. R. S. H. 1778.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.